

A 166
—
—
—
111.

Sári d:

De falsa et vera.

RKK II, 106

/ 6 -

kéziratos másolat.

Kolozsvár. Unitarius Theologia.

11 - 20 oldal.

DE FALSA & VERA
Unius Dei Patris, Filii & Spiritus
Sancti cognitione.
LIBRI DUO.

AUTHORIBUS
Pastoribus ac Ministris Ecclesiarum Dei in
Hungaria, Sarmatia & Transylvania
qui in Cœlestis Doctrinæ ve-
ritate consentiunt.

I Thessalonic. 5.
Omnia probate, quod bonum est, tenete.

ALBÆ JULIAE
I 5 7 o.

CAPITA EORUM, QUAE IN LIBRO PRI-
mo continentur.

Caput. I.

Præmonitiones Christi & Apostolorum, de abolen-
do vero Christo per Antichristum

II.

Quoniam pacto Antichristus, Dei Ecclesiam & Verbi
Divini simplicitatem corruperit.

III.

De origine & progressu Tryadis, acque initio So-
phistices, & variis Reclamatoribus.

IV.

De horrendis Simulachris, Deum Trinum & unum ad-
umbrantibus.

V.

Quid summatim doceant Sophistæ, & quos Fidei articu-
los proponant.

VI.

Compendium Librorum Augustini de Trinitate

VII.

Quam varii & inconstantes sint Interpretes, & quomodo
Scripturas detorqueant, Ex judicio Erasmi Rotherodami.

VIII.

De vocibus & phrasibus portentosis, quibus Trypote
coguntur uti.

IX.

De exoticis & ridiculis Sophistarum vocibus ac ter-
minis.

DOMINAE ELIZABE-
THAE, SERENISSIMAE REGINÆ BRI-
TANNIÆ, FRANCIÆ, HIBERNIÆ &c. Eccle-
siæque renascentis nutrici, propugnatricique pientis-
simæ. Gratiam & Pacem per Jesum Christum, Filium
Dei Unicum ac Unigenitum, Universi Pastores & Mi-
nistri Ecclesiæ Dei in Hungaria, Sarmatia & Trans-
sylvania, qui in Coeli Doctrina Veritatis conser-
tiunt, sinceris pectoribus precantur.

Minime nos fugie Regina Serenissima, earum re-
rum famam, quæ in nostris Ecclesiis geruntur,
ad M. V. s. pervolasse: Insuper & libellos, qui ab ad-
versariis Doctrinæ Coelestis, quam nos ingenti Dei mi-
sericordia profitemur, conscripti sunt, Quorum antesignani
sunt, Theodorus Beza, Simlerus, Bulingerus, Vigan-
dus, Schegkius, Georgius Major, & Similes Aristar-
chi, qui indictam causam, pro situ ipsorum supercilioso,
zelo tamen inconsiderato et intempestivo damnare, nominag-
ac personas nostras proscindere ac traducere non sunt veriti. An porro
lactum.

4

factum hoc Synceros Christi Ministros deceat, omnibus
Pius ac honestis Viris, qui Veritatis ac gloriae Dei aman-
tes sunt, judicium relinquimus. Dicacitatis hujus temeri-
tatem, petulantemque hanc debacchationem Papali fastui
convenire, Antichristique Ministris, non Spiritus Dei or-
ganis, qui ut veritatis ac synceritatis, ita quoque & pie mode-
stix ac lenitatis Spiritus est, competere existimamus.

Ne proinde istorum inconsiderata proruptio, ^{"præ-}judicandis
prona vanitas, qua multa mendacia secum comprehendit, ve-
ritati Dei, quam ejusdem insigni clementia prolietum, incom-
modet, dignitatemque ac autoritatem Ministerii nostri
ledat & elevet. Ne denique mentium purarum tranquilla
Conscientia in imbecillioribus impellatur, & successu tan-
dem labefactetur, de Dei Unius & Filii unigeniti
cognitione opuscula varia adornare, & in publicum
dare, pro ministerii nostri Sancti Officio coacti sumus.
Et hoc in hunc finem: Ut potestate judicandi, secundum
Dei institutionem, sedentibus facta, de veritate
doctrinæ facilior cognitio, et solidior pronunciatio
fieri in Ecclesia Dei queat: Demum, ut pio examine
facto, per eruditos commodius erudiri, errorresque
nobis (e quorum tamen nullius nobis consciū sumus.)

Com.

commonstrari, & ad emendationem perduci queamus.

Ea igitur cuncta, quæ Deus Clementiss. hactenus pro sua inexhausta bonitate nobis suggestit. M. V. S.
ut Reginæ püssimæ, verèque Religionis nutrici ac tutatrici promptissimæ, quam in tota Europa, propter multarum & maximarum virtutum divinarum cumulorum, Deus optimus in magnum splendorem dignatus est Collocare, humiliter consecrare ac transmittere voluimus:
Non solum ut, juxta Pauli Apostoli admonitionem, omnia probet, ac quod bonum est retineat: verum etiam ut calculum quoque suum juxta eruditionem, prudentiam, matrumque judicium, quæ cuncta speciali Dei favore ac benignitate M. V. S. consequita est, admoveat.

Si porrò isthæc primordia inculta Doctrinæ nostræ professionis, quæ ad Papæ Romani Antichristi matheologiam de Deo peregrino, Uno Trino & Trino uno retundendam adornavimus, M. V. S. animo placi-do accepisse cognoverimus, & quemadmodum nobis nullum est dubium: Siquidem animi M. V. S., Candor studiū erga veritatem Dei propensissimum nobis usq; ad admirationem nota sunt: De libertate quoq; judicij, seu de jure sedentium in Ecclesia, librum, in quo cause magna perspicuitate demon.

6

monstrantur. Quamobrem Evangelicam prædicationem,
quæ a Lutheri temporibus exordium suum sumpsit,
in hodiernum usque diem adeo exigui fructus sunt sub-
secuti, Omnia vero simultatibus, rixis, opinionibusque
Variis sint referta; Juxta quoque Veteris & Novi Testa-
menti locorum omnium solidam, ex toto Corpore Coelestis
Doctrinæ delumptam interpretationem, quibus Papa An-
tichristus ad suum peregrinum Deum Trinum & quaterna-
tum, Patriarchis, Prophetis & Apostolis prorsus igno-
rum, fulciendum & stabiliendum, Duosqz Filios, in una
Persona copulandos ac uniendo abusus, eidem M.V.S.
humili obsequio offeremus.

Postquam enim ingenti misericordia Dei per lumen
sui Sancti Spiritus dulcem harmoniam literarum u-
triusque Foederis agnovimus: eandem dulcedinem
& multis aliis nobiscum Communem esse, ex animo cu-
pimus atque optamus. Acre profecto nobis certamen
est cum adversariis, Non tantum Papæ Antichristi
rasis Servis, Sed & iis, qui nomine Evangelii gau-
dent, splendidoque eruditionis titulo celebres sunt, In-
terim tamen in negotio fundamenti, & aliarum quo-
que partium Doctrinæ Ecclesiasticæ, prænomina-
torum servorum Papæ socii ac Conservi esse deprehen-
duntur.

duntur. Certamen verò nobis est cum illis de genuino simplicique Verbi Dei sensu & interpretatione, quam nos non ex Episcoporum philosophicorum (quos illi Sanctorum Patrum venerando nomine insigniunt) scriptis, Neque ex Conciliorum placitis ac decretis, Neque per exoticas prophetiasque, Sed ex purissimis rivulis fontis, seu Verbi divini, eruendam & transumendam esse existimamus ac affirmamus. Satis per aliquot elapsa secula patrizatum, & per exoticas prophesiasque voces & vocabula garritum est: sed quæ utilitates inde emerserint, monstrosa Ecclesie supersticio, & horribilis illa prophanatio per omnis generis abominationes idolatrias, & turpes abusus, palam monstrant.

Duræ quidem conditioni involuti sumus: Sed quum misericordi Sionis jam tempus adsit, laborem nostrum Dei Optimi benignitate non frustraneum experimur, præser-
tim cùm ejusdem Dei Clemensissimi infinita bonitas,
de Pientissimo Asylo nobis prospexerit illuminan-
do Principem nostrum Serenissimum JOHAN-

N E M S E C U N D U M H U N G A-
R I A E Sc. REGEM, Fratris tui, Eduardi Sexti,
Britaniæ Regis püssimi, Virtutibusque cunctis ornatis-
simi, laudatissimæ reminiscentiæ, comparem ac socium:

Nam

2
Nam ut in illo quondam, Ita nunc in isto universam Virtutum encyclopediam videre est, Ita, ut Ovum ovo non magis simile esse queat. Sub hujus itaque clementiss. Principis nostri & cuius Deus Opt. Max. in dilecto Filio suo faveat, diutissimèque cum nobis, & universæ Patriæ servet: alis, in numerosis Ecclesias salutare illud lumen cognitionis. Unius veri Dei, Patris Messie, et ejus Filii Jesu Messie, qui conceptus est de Spiritu Sancto, & natus est de Maria Virgine. Quive passus ac mortuus est, pro nobis, magno splendore radiat: Deo Papa Composito, Trino Uno, aut uno Quaterno, eodemque sterili, Ac Filio Pa-
pæ Suppositio, quem aeternum commentus est, & qui nec conceptus sit de Spiritu Sancto, Nec Crucifixus & mor-
tuis sit pro nobis, repudiatis.

Et quamvis in Sarmatia, ob odium Diaboli & man-
cipiorum ejus, piorum Pastorum, Fratrum nostrorum,
pro forma perpetua veræ Ecclesiæ durior sit conditio:
tamen currus hic Deo aurigæ regitur, ac quotidie
magis ac magis propellitur, Ita ut sint Sancti Cætus, qui in vera
agnitione iudicis Deum laudant, veritatemq; suam ad multorum
Salutem propagant, in patienti constantia animas suas possidentes.
Hic nihil dicemus de multis piis, ac doctissimis Viris, qui
in Galliis

in Galliis, Helvetiis, Germania &c. Babylonicae captivitatis
Compedibus constricti hærent, Interim gemitibus
altissimis Deo miseriam captivitatis suæ exponunt,
Nosque səpissimis ac doctissimis suis literis, tam docent,
Quām exhortantur, ut in via hac Domini constanter, nec
cessatores agere velimus: quum de principali cardine vi-
ta æternæ consequendæ agatur, Simul & Papæ Anticheti-
sti pupillæ confodiantur: quibus erutis, Andabatarum instar
oberrando, in eam loveam, quam dira Belua nobis paraverat,
Præceps corruat, celerrimèq; pessundetur.

Quod autem ad nos attinet, licet nostram ruditatem,
& cum ea conjunctam infirmitatem, tamquā hui, qui in in-
fimo eruditionis gradus constituti simus, agnoscamus,
Tamen Dei clementia & bonitate fræti, tamquā ejus,
qui Omnipotentem suam Virtutem in infirmitate perli-
cere solet, piorum Fratrum, piis & Sanctis monitis
strenue parere conabimur. Dies enim ultionis illa jam im-
minet, Et Sol jam satis superque in tenebris latuit, Lu-
naque Sangvine madens, lumine suo privata fuit.

Vnus, verus, virus, altissimus ac Omnipotens De-
us, qui est Pater veri Messiax, Domini nostri Jesu Chri-
sti M. V. S. servare, Spirituq; Sapientiæ, cognitionis
ac di-

ac discretionis, in diesque adaugere dignetur.
Amen.

Datum Albæ Juliæ in Transylvania, Sub initium anni Domini M. D. LXX: Quem. ut Regi nostro sereniss. ac regnis ipsius; Ita & M. V. S regnis quoque suis auspiciatissimum. toto pectore optamus ac cupimus, Ut in nobis ac vobis illud compleatatur, quod in Psalmo dicitur: Ut populi in unum converuantur cum Regibus, ad serviendum Dominum: Amen.

Vege.